

DE  
VERO VERI GERMANIQUE  
PHILOSOPHI CHARACTERE  
BREVITER DISSERIT

ET  
SAPIENTIAE CVLTORES

AD  
RECITATIONES PVBLICAS  
IN AVDITORIO MINORE

DE  
HISTORIA PHILOSOPHICA  
AVDIENDAS

EA QVA PAR EST HVMANITATE  
INVITAT

GEORG. FRIDERICVS  
RAVIVS

PHILOS. PROFESS. PVBL. EXTRAORD. COLLEGII  
PHILOS. ASSESSOR ET VERBI DIVINI  
MINISTER

---

VITTEMBERGAE SAXONVM  
TYPIS CHRISTIANI SCHROEDERI ACAD. TYP

coll. diss. A  
92, 41

*37 a. XCII. 41.*

VERO VITRI QUMMANOV  
MILIO NIB CHAKACIBAE

SAPIENTIAE QV SORES

REGITATIONE PVLICAS  
IN AVDIOLIO MINGO

MISTORIALI THIOLOGICA



GEORG. FRIEDRICH  
MAYERS

PHILOSOPHIE UND ERBAUTUNG  
VON DEN GRUNDSÄTZEN DER

WISSENSCHAFTEN UND KUNSTEN

5  
f. 10. 11. 12.



Si quid est, quod iuventuti, ad studia sua, in academiis praesertim, non solum auspicianda rite, sed etiam bene sapienterque prosequenda, ac tandem ad finem feliciter perducenda, conducat, certe illud ipsum esse existimo, ut recte, posthabitis aliis omnibus, discat philosophari. Quis enim, hominis menti natura quandam philosophiae insitam et innatam esse cum cupiditatem, tum docilitatem, cum ratione potest dubitare. Aut, quis inficias ibit, dignam illam esse, quae, omni animi ac corporis contentione, excolatur. Cui, nisi hospiti in literis, latet, eos, qui ingenio, doctrina, praecleara-

clararumque scientia rerum, alios antecelluerunt, philosophos uocatos, et magno in pretio habitos, apud gentes omnes. Ecquis nescit, quam ferax olim Graecia Latiumque eorum fuerit hominum, qui, ut ipsi nulla re magis gloriati sunt, quam philosophiae studio, ita, non alio nomine, ab aliis magis aestimati sunt atque celebrati. Non equidem ignoro stultum genus hominum, quod, instinctu non boni, sed mali, genii, omnem philosophandi rationem ex scholis, academiisue, plane exterminatam cupit, de quo, instar omnium, audias pessimum istum, licet, Christianum Hoburgium, ita insanientem, *Ach uuir blinden Menschen meinen, daß die Wissenschaft der Sprachen und heydnischen Künste uns die Schrift eröffnen sollen: daber von Jugend auf uuir so darinnen uuüblen, daß uuobl kein Garten von Säuen so kan zeruuüblet uuerden, als die Schrift von den Sau-Menschen ist mit ibren heydnischen Künsten zeruuüblet uuorden, und meinen doch mit solchen ibren Künsten und Sprachen die Schrift zu eröffnen, und daber lehren sie auch solche ibren lungen auf hohen und niedrigen Schulen.* (a) Nihilò rectius sapit, hoc in argumen-

---

(a) Postilla Mystica, Fer. II Pasch. p. 43, a.

mento, reliqua fanaticorum turba, quippe quae, ut antea dixi, omnem e medio tollere humanarum scientiam rerum turpiter conantur. Sed adeo ne hi diuini codicis expertes sunt, ut nondum legerint relatum, Moſen, uatem diuino ſpiritu aſſatum, abditiffimis Aegyptiorum artibus fuiſſe imbutum, Danieleſm Chaldaeorum doctrinis praeclare inſtructum, et Salomonem de Cedro, in Libano, aliifque, eruditiffime diſſeruiſſe, ut taceam reuerendos coetus diuini doctores, Clementem Alexandrinum, Lactantium, Baſilium M. Auguſtinum, Hieronymum, reliquos, qui ſobrie ſunt philoſophati omnes. In primis hic commemoraffe iuuat Eufebium Pamph. Caefareae Paleſtinae Epiſcopum, uirum apprime doctum, et ſaeculi IV ornamentum, qui, eximius autor, tum *εὐαγγελικῆς προπαιδείας*, tum *ἀποδείξεων*, ſcriptis, accuratiore, quam quae in manibus eſt, interpretatione dignis, theologicae huic philoſophicam illam praemuniuit tractationem. Nouas uero, in theologia, res molientibus, haec non arrident, iifdemque in philoſophia, ars diſputandi maxime diſplicet, propterea, quod fortaffe, per hanc, eorum abſurdae concludendi rationes diluuntur ac

) ( 3 euer-

euertuntur, quique, ut paucis multa comprehendam, nihil rectum putant, nisi quod ipforum moribus conueniat, et cum suis doctrinis amice conspiret. Nos, Ciues optimi, sanae philosophiae obtrectatoribus fanio rem mentem precati, laborabimus potius in praesens de uero ueri germanique philosophi caractere. Ex Diogene Laertio, antiquitatis indagatore solertissimo, notum est, (b) extitisse olim genus philosophorum, quod αἰρετικόν, seu *sectarium*, dicebatur, unum uidelicet ducem, eiusque uel placita, uel consilium, uel modum philosophandi, amplexum, a quo, ut Platonici a Platone, Aristotelici ab Aristotele, Albertistae ab Alberto, Thomistae a Thoma, Scotistae a Scoto, Occamistae ab Occamo, Auicennistae ab Auicenna, et, recentioribus temporibus, a Cartesio Cartesiani, a Gassendo Gassendiani, ab Hobbessio Hobbessiani, ab Helmontio Helmontiani, nomen originemque suam traxerunt. Offerre etiam nunc sese eiusmodi sectatores, qui, uti gaudent ingenio diuerso, sic diuersas abeunt in sententias, ac impetu, nescio quo, ad hanc, uel illam, haeresin abripiuntur, eam sequuntur, immo, in eius gratiam, saepius  
sanae

---

(b) u. Proemium.

fanae rationi repugnantia, absurdissime propu-  
gnant, quotidianus rerum usus luculenter con-  
firmat. Multi enim, ridicula humani ingenii  
peruerfitate, ne dicam stoliditate, suum philo-  
sophiae doctorem, falsa proferentem, ipsiusque  
animi sensa, saepenumero ne quidem recte in-  
tellecta, mordicus defendunt, admirantur, lau-  
dibus in coelum extollunt, hunc unum omni-  
bus praeferentes, quasi ab errore prorsus immu-  
nem, ut uel in ipsius uerba iurent, nec, quem-  
quam, prae illo, sapere, credant, neque, ne latum  
quidem unguem, ab eius decretis sibi disceden-  
dum, ducant. Multi non tam in ueritate, quam  
magistrorum suorum honore et gloria augenda,  
omne studium ponunt, Pythagoricoque silen-  
tio, et detestando illi, *αὐτὸς ἔφα*, autoritatis  
praeiudicio, mancipia obtemperant, cum illo  
Cartesii assentatore opinantes, ad uiri eruditi,  
cunctisque numeris absoluti, laudem, satis  
esse nomen Cartesiani. Alii dogmata quae-  
uis, uel ore prolata, uel literis consignata,  
nugis haud dissimilia, sine ulla dubitatione,  
arripiunt, arrepta approbant, approbata dif-  
feminant, disseminata propagant, perinde, ac  
si essent arcana diuinitus impertita, quae, nul-  
la plane humanae rationis ui, dilui, uel infringi,  
possent

possent. Hi uero omnes, certis adstricti nominibus, characterem praestantis philosophi haud sustinent, eoque libertatem philosophandi perdunt, et sic saepius imprudentes ueri oppugnatores, falsique defensores, euadunt, id ipsum, maximo quodam uitio, tueri conantes. Eiusmodi imitatores, quos, seruum pecus, increpat poeta, ne quidem philosophorum nomine dignos, existimamus. Tanto igitur maiori cum cura quaerenda tutissima omnium recte philosophandi uia, quanto magis in hanc, uel illam, sectam, uiri alicuius autoritate decepti, propendent homines ac toti feruntur, quantoque maior nulla est philosophiae pestis, quam in disciplina, uel decretis alicuius doctoris, quamlibet magnae doctrinae ac fama, nimum inniti. Ad uerum germanumque philosophum nihil sunt censendi uel Plato, licet diui cognomen, in hunc usque diem, ipsi proprium sit, uel Aristoteles, diuino pariter ingenio, uel, proximorum abhinc temporum, Cartesius, celebre sui seculi oraculum, uel Gassendus, scientiarum artiumque omnium helluo, nulloque illi beneficio cogniti, nisi quatenus de ueritate bene promereantur, quam solam unamque circumspicit semper ac inuestigat prudens,  
dens,



dens, nulli, uel stupendo ingenio, mancipatus. Cum uero isti suos quondam praeceptores in multis neglexerint, cur dissentiendi libertas, ingenue de omnibus rebus et doctrinis, prout ueritas et rerum natura postulare uidetur, sentiendi ac pronuntiandi, aliis adimatur. Nulla sane urget necessitas, ut in antiquissimis recentioribusue scriptis, quamuis ingeniose satis elaboratis, plane quispian pleneque acquiescat, quoniam naeuis saepe polluantur, qui excusari nec possunt, nec debent. Idcirco ab antiquis inde, ad nostra usque tempora, profectum perfectumque systema, immensum philosophiae thesaurum comprehendens, tanquam normam, ad quam uniuersa philosophorum decreta exigi et iudicari possent, expectaueris nequicquam. Liberum igitur solutumque se conferuet omni haeresis uinculo uerus philosophi character, et ad id Tullii effatum attendat, *Defendat quidem, quod quisque sentit, sunt enim iudicia libera, nos institutum tenebimus, nullisque unius disciplinae legibus adstricti, quibus in philosophia necessario pareamus, quid sit in quaque re maxime probabile, semper requiremus.* (c) Nec uenerandae antiquitatis testimonia hic defunt, quorum non

---

(c) Tuscul. Quaest. L. IV

ulti-

ultimum Clem. Alexandrini, coetus sui principis, disertis et grauis, quem Caussinus Plutarchum Christianum appellat, ita habet, Φιλοσοφίαν ἢ τὴν Στωϊκὴν λέγω, ἢ τὴν Πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπιχρίσειον τε, καὶ Ἀριστοτελικὴν, ἀλλ' ὅσα εἴρηται παρ' ἐκάστη τῶν αἰρέσεων τέτων καλῶς, δικαιούνην μετ' εὐσεβῆς ἐπισήμης ἐκιδάσκοντα, τῆτο σύμπαντὸ ἐκλεκτικὸν Φιλοσοφίαν Θεμή. (d) Nec ab hac sententia recedit elegantissimus diuinarum auctor Institutionum, idemque alter Cicero, Lactantius, his in uerbis notatu dignis, *Quare oportet ea re maxime, in qua uitae ratio uersatur, sibi quemque confidere, suoque iudicio ac propriis sensibus niti, ad inuestigandam et perpendendam ueritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem. dedit omnibus Deus, prouirili portione, sapientiam, ut et inaudita inuestigare possent, et audita perpendere. nec, quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt, quae, si omnibus aequaliter datur, occupari ab antecedentibus non potest, cetera.* (e) In primis perplacet ex recentioribus, ut innumeros praetermittam, Francisci Redi, nobilis Aretini, philosophi et medici insignis, praeclarum atque

com-

(d) Stromatum L. I, p. m. 288.

(e) Institut. Diuin, Lib, II, c. 7.

commemorandum iudicium, *Laudo omnes sectas philosophorum, et in omnibus inuenio plurimas res, quae, ubi denudatae, monstrant ueritatem, sed etiam in iis inuenio multa, quae cum ueritate paruum, uel nullum, habent consensum. amo Thaletem, amo Pythagoram, Platonem, Aristotelem, Democritum, Epicurum, omnes illos principes sectarum philosophicarum, attamen hoc non fit, ut uellem seruiliter iurare in illorum uerba, et pro ueritate habere omnia illa, quae dixerunt, aut scripserunt, sicut quotidie fieri solet.* (f) Atque adeo facessat hinc, et exulet, philosophia a sectis nomen adepta, quippe quae suos pertinaces praefractusque reddit, cum, contra ea, animus, a studio partium alienus, pronus facilisque sit ad id amplectendum, quod uerum est, simplex et sincerum. Inde fit, ut Cicero talem animum referat ad aequilibratam, qui, uti lingua librae propendet in utramque partem, dum a pondere alterutro deprimatur, ita ad utrumque statuendum inclinatur, nisi a ponderibus rerum, argumentorumque momentis, uincatur. Ingenium enim nostrum, a natura recte informatum, ad assentiendum ueritati, eamque inuestigandam, trahitur, nec illico sibi persuadet,

---

(f) in Epist. de Viperis, p. 28.

suadet, et pro uero reputat, quod sensum afficit externum, sed quod intelligentia ipsa, re diligentius expensa, uerum perspicit eruitque, nec Plinio aduersatur, iuniori, qui, apud sapientes, honestissimum, iudicat, maiorum uestigia sequi, si modo itinere praecesserint recto. Qui igitur, imaginem ueri germanique philosophi exprimere cupiens, credit, a pluribus se uerius, quam ab uno, posse doceri, is assidue peruoluet libros tam priscorum, quam recentiorum, philosophorum, tum Latii, tum Graeciae, eosdem caute tractet, adhibito ubique iudicio, ac habito delectu, propterea, quod pleraque scorias et quisquilias admittas habent, cumque philosophia in rationibus innitatur, sedulo has indaget, accurate omnia iustis ponderibus examinet, ac, quae ipsi, pro rei ueritate, probanda, aut improbanda, uidebuntur, libere, nullo amoris, nulloque odii impedimento, sola moderate philosophandi consuetudine ductus, aut admittat, aut reiiciat, argumentis, rerumque causis plus semper, quam autoritatibus et praediciis, tribuens, atque adeo damnet, quae praua sunt, et male conclusa, optima contra, et rationi consentanea, seligat retineatque, ac semper rationem et experientiam, haud

haud secus, ac duces, ad sequendum, sibi proponat. Idem neque cupidius arripiat, aut pertinacius tueatur quaeuis, a magistris tradita, nec iracundius inuehatur in alios, contradicendo temere, ac nihilo magis existimet, antiquioribus solum philosophis humanae sapientiae arcana peruestigare licuisse, nec posterorum inuestigationi seculorum quicquam relictum. Tum nullo rapiatur partium studio, suam cuique, ex merito, laudem ita tribuat, ut, sicubi etiam erratum a quoquam fuerit, id quidem remoueat modeste, ad eum in finem, quoad ueritas philosophiae elucescat. Grata confiteatur mente, ex Platone se multa, ex Aristotele quam plurima, ex Epicuro, ac ceteris philosophis, non omnino nulla didicisse. Haud inuideamus Aristoteli, aliisque, praeclara praeclarorum uiro- rum encomia, et amicum dicamus Platonem, Socratem, reliquos, omnium tamen amicis- simam habeamus ueritatem, reiectaque ac explosa omni autoritate, memores simus il- lius Senecae, *Nunquam inuenietur, si contenti fuerimus inuentis. praeterea, qui alium sequitur, nihil inuenit, immo ne quaerit. quid er- go, non ibo per priorum uestigia. ego uero utar ueteri, sed, si priorem planioremque inue-*

)( ( 3

nero,

nero, banc muniam. qui ante nos ista monue-  
runt, non domini nostri, sed duces fuerunt. pa-  
tet omnibus ueritas, nondum est occupata, mul-  
tum ex illa etiam futuris relictum est. (g) Id-  
circo, quae in huius, aut illius, scriptis, sa-  
nae rationi, usuique rerum ac tractationi, con-  
ueniunt, ea seruet, et amplius confirmet,  
obscuriusque dicta, nec satis demonstrata,  
illustret, ac clariora melioraque substituat,  
quae denique manifeste falsa, aut exposita  
iam iam ab aliis fuerint, aperte fateatur, ac  
monstra sententiarum, quae magistri saepe a-  
lunt, detestetur, atque de suo, quantum au-  
gendi arte potest, subinde addat, nec teme-  
re tamen, sed uocata usquequaque in con-  
siliium recta ratione, adhibitoque incorruptae  
mentis iudicio, quod nec amor in magistros,  
nec odium erga contra sentientes, a uero ab-  
ducat. Vt apud diuersis ex flosculis succum  
colligit optimum, sic philosophus ex plurimis  
doctrinis optimas quaeque eligit, ac in usum  
conuertit. Atque haec demum germana est  
philosophandi ratio, quae, ut ex praedictis  
pater, non tam eruditionem, quam iudicium  
requirit maturius, cuius in hominibus, po-  
tissimum aetate prouectoribus, atque exerci-  
tatio-

---

(g) In Epist. ad Lucilium, 33.


tatoribus, copia fit, nec in adolescentibus, qui, quid sit optimum, haud facile sunt iudicando, meliora tamen hi edocti, iudicio suo utantur, ut pluribus praecipit ingenio, prudentia et dignitate, illustris, Franciscus Baco, Baro de Verulamio, in notissimo ingenii monumento. (b) Praeterea philosophiae studiosos haud decet, ea, quae proponuntur, si nondum recte capiunt, negare statim, sed prius diligenter cognoscant, cognita perceptaque secum meditentur, cum recta ratione delibarent, atque tamdiu a iudicio ferendo abstineant, quamdiu rem ignorent, uel etiam contemnant. Haec, non sine commodo uestro, Commilitones optimi, praemonitu uidebantur necessaria, ut, perspecto uero ueri germanique philosophi caractere, amore sapientiae flagretis, primisque nominatim annis, studio illius nihil prius antiquiusue habeatis, nec animos ad alia, insolenti fastidio, praecipitetis. Posteaquam uero diuinae prouidentiae placitum est, ut, hac in Academia, frugiferam maxime ac fructuosam docerem philosophiam, uisumque Potentissimo Poloniae Regi et Principi Electori Saxonum, FREDERICO AVGVSTO, Domino longe clemen-

---

(b) De Augm. Scient. L. I, p. 19.

mentissimo, munus Professoris Philosophiae  
publici, extra ordinem, singulari prorsus be-  
neficio, demandare mihi, in qua primum in-  
dulgentissimi Heri gratia uti gratus acquiesco,  
ita praepotens Numen supplex ueneror, uelit  
Regem Regiamque Stirpem, una cum aulae  
Proceribus, exquisitissimo prosperitatum gene-  
re, secundissimisque rerum euentis, cumulare,  
deinde, non possum, quin agam, quod meum  
est, in eoque omne studium, industriam, tempus  
omne, collocem, nihil facturum reliqui, quod ad  
uestram pertinere utilitatem uideatur. Quod  
igitur felix faustumque Deus optimus, maxi-  
mus, esse iubeat, crastino die, ab hora ma-  
tutina X, laboris publici facere initium, et  
*Historiam philosophicam*, solidum eruditionis  
praestantioris fundamentum, breuiter stri-  
ctimque uobis proponere, animum induxi, in  
singulis posthac philosophiae partibus, duce  
*Buddeo*, operam, quanta fieri poterit, sum-  
mam uobis nauaturus. Cui instituto ut ii,  
quorum interest, animis auribusque faueant,  
ea, qua par est, humanitate, ab ipsis contendo.

P. P. Vittembergae Saxonum, Dominica  
Exaudi, A. R. G. MDCCXXII



Coll. ob'ss. A. 92, misc. 41